



Sammlung

D. 6. $\frac{15}{2}$

V. II. 97.







3
ERYCI PVTEANI
PECVNIAE
ROMANAE
RATIO,

*Facillimo ad nostram calculo
reuocata,*

In gratiam Iuuentutis.



COLONIAE,
Apud Conradum Butgenium.

Anno 1620.




Illustrissimus Fratribus,

PETRO ET STANISLAO
DANILOWICZ
DE ZVROW,

Illustrissimi V. NICOLAI DANILOWICZ DE ZVROW, *Supremi Polonia Thesaurarij, Semboriensis, Bielecerfis, Drohobicensis Czervvonogrodensis, &c. Capitanei* FILII S,

ERYCIVS PVTEANVS

S. D.

 PECVNIA quam alienus sum, tam libenter veterem illam, & præcipue Romanam tracto: non cumulandi studio, sed sciendi. Sic vero & liberalis esse possum, si numerem, nec possideam; si iustrem, nec constipem. Pone te calculum: Docere hic largiri est, & qui sic donat, nunquam exhauritur. amo discere hic ditari est; & qui sic accipit

A 2

cipit

cipit, vere obligatur: accipit thesau-
 ros, qui perpetui sunt, nullumq; for-
 tunę imperium sequuntur thesauros,
 quos ferre è Patrię incendio nunc etiã
 Philosophus possit, & vacuus nihilo-
 minus ire. Vt rem dicam: compnta-
 bimus cum Romanis Asses, Sesterti-
 os, Aureos, & cum Sapientibus con-
 temnemus, habebimus, & à cingen-
 tibus liberalitatē vitii alieni erimus,
 Auaritia & profusione. Vestra hæc e-
 tiam in hac ætate virtus est, & velut à
 parente, incorruptissimo potentia in-
 tegratisq; exemplo, deriuata. Sum-
 mi estis, & maioris Doctrinam, quam
 pecuniam facitis: optimi estis, & in eo
 toti, vti utilissimi Reipublicæ euada-
 tis. Hinclitteris insudare, & linguam
 ingeniumq; excolere, suauißimæ vo-
 bis feria: vnus hic scopus studiorum,
 Pacis Bellique artes generoso labore
 complecti: Scire, quicquid tam multi
 hodie magniq; cum publico damno
 nesciunt. Inter hæc igitur & PECV-
 NIÆ ROMANÆ RATIO, atque
 cogni-

AUCTORIS.

5

cognitio est, magna Historiæ nec non
Antiquitatis pars: quam nuperrime
Taciti causa explicatam, oculis nunc
vestris, & sic omnium subiicio. Semel
faciendum erat, vt res peregrinitate
sua difficilis difficultatem exueret,
obscura caliginem, molesta tædium.
Ad summam, quicquid in calculis &
rationibus præcipue spectari solet, se-
cutus sum: an assecutus, vestrum erit
iudicium. Valete. Louanij, in Arce,
Postrid. Kalend. April. ∞. loc. XII.

A iij

IN-

INDEX CAPITVM.

CAPVT I.

Origo pecunie apud Romanos, Vfus, Discrimē.

CAPVT II.

De Pecunia Aerea.

CAPVT III.

De Pecunia Argentea.

CAPVT IV.

De Pecunia Aurea.

CAPVT V.

Supputatio Aëris.

CAPVT VI.

Supputatio Argenti.

CAPVT VII.

Sestertij in rationes diuisi.

CAPVT VIII.

Sestertia ad calculos renocata.

CAPVT IX.

Supputatio Sestertiorum Aduerbialis.

CAPVT X.

Supputatio Auri.

P E C V N I Æ
R O M A N Æ
R A T I O.

Facillimo ad nostram calculo
reuocata.

C A P V T I.

*Origo Pecunie apud Romanos, Vfus,
Discrimen.*

ENTIVM morem etiam Ro-
mani secuti, res omnes me-
talli pretio estimarunt. Ni-
hil utilius; sed nihil quoque damno-
sius fateare. Etenim postquam rei-
cta Permutatione, vni ceperunt Pe-
cuniam obnoxia cuncta esse, cupiditas
laxata est, omnibusque ut pateret vi-
tiosus animus, auaritiam admisit. Plinii
verba sunt: *A nummo prima est origo auaritiæ
excogitata, quaestiuosa scœnore segnitia.*
Vires, ut sic dicam, æri, argento, auro
datae, quibus fas succumberet nefas-
que, & quicquid in rebus est huma-

8 ERYCI PVTEANI

nis Sed abusum nolo persequi: vsu
 laudo. Vnius Pecunie beneficio com-
 mercia vigent, bella geruntur, pax
 floret, vita agitur, viuunt omnia. Pri-
 ma in Nōmine varietas est, homi-
 numque bonum promiscue Roma-
 nis PECVNIA, NYMMVS, MONETA
 appellata. PECVNIA, quia pecudis
 notam principio referebat, à Servio
 Rege, & quidem imitatione Græco-
 rum, signata. Plinius lib. xxviii. cap.
 vii. *Seruus Rex primus signauit AEs Antea
 vnde vsus Roma Timaeus tradit. Signatum
 est nota pecudum, vnde & Pecunia appella-
 ta. Varro tamen altiore censet, & à
 Pastoribus originem esse. Forassis
 quia opes olim in pecudibus, & quic-
 quid vnusquisque possidebat Pecun-
 iae vocabulo fuit. Huc igitur respec-
 tit Seruus, & simplicissimam Anti-
 quitatē ære suo signauit. NYMMVS
 à Græcis tanquam νύμμος; et si Lati-
 num è Suetonio Suidas faciat, & à
 Numā deriuat. Pollucem hic audio,
 lib. ix. cap. vi. ὁ δὲ νύμμος δὲ καὶ ἰσοῦ εἶναι
 ἰσομετρῶν*



PECUNIAE R. RATIO. 19

ἰωνίων τῆ νομοῦ ἔ νομισματός ἐστὶ δὲ ἑλλη-
 νικῶν τῶν ἐν Ἰταλίᾳ καὶ Σικελίᾳ Δωρείων.
 Nummus videtur quidem Romanum nu-
 mismatis nomen; sed est Gracum, eorum
 qui in Italia & Sicilia Dores habitarunt.
 Nisitur vero auctoritate Epicharmi,
 & Aristotelis: quorum ille, ἐν τοῖς χύσι-
 οῖς, aliquoties νόμμος nominat: hic, ἐν
 τῇ Ταραντίνων πολιτείᾳ testatur, νόμισμα
 νόμμον appellari, insignitum Tarentis
 effigie, Neptuni Filii, delphino in-
 sidentis. ~~Νόμμος igitur à νόμῳ, quem-~~
~~admodum & νόμισμα.~~ A lege enim, ut
 Aristoteles ait, vim pretiumque ca-
 pit. MONETA à monēdo: Signo enim
 in metallum impresso, pretium, au-
 ctorem, tempus indicat. Antea rude
 metallum erat, ὁμοῖον μεγέθει, καὶ ταύτῳ,
 ut Aristotelis verba vsurpem; magni-
 tudine & pondere definitum. Nota acces-
 sit, ἔ ποσὲ σημεῖον, & ut labor siue mo-
 lestia metiendi atque ponderādi ces-
 sare. A Moneta Triumviri Moneta-
 les, qui Pecunię flandæ feriundæ Pre-
 fecti erant. Sed & pari origine Iuno.

A s Moneta.

~~Moneta. Bellanamque Tarentina. ut
Suidas narrat, aduersus Pyrrhum, cum Pe-
cunia Romani egerent, votum Iunoni fece-
runt. Respondit Dea. si integra inser arma
Iustitia esset. Pecuniam non defutam. Vo-
ti compotes. Iunonem colere. Monetam cepe-
runt. facta quoque decreto, ut in eius fano
nummi euderentur. Satis est nominis: in
re PRETIUM, & SUPPUTATIONEM
confidero. Pretium Materia, Suppu-
tatio Modo & Vsu constituta est, for-
mulisque suis distincta. Materia olim
~~Et apud alios alia, ne luteos, (corneos,
ferreos nummos persequar: apud
Romanos Es. Argentum, Aurum.~~~~

CAPVT II.

De Pecunia Aerea.

PRI^{MA} ex Aere pecunia, & à Ser-
uio Tullio signata: iam tum Regi-
na, quia à Rege; & rebus omnibus
imperatura, licet à seruo. Conditio-
nem suam aut Fortunam iactent mor-
tales, hic nemo liber est, & aereis istis
vinculis ligari, suaue quisque putat.
Ecce

Ecce à Rege & Romano hæc seruitus, & magis quoque in ipsa libertate colicæpit. Cum Horatio dicam:

*Imperat aut seruit collecta pecunia
cuique,*

*Tortum digna sequi potius, quam
ducere funem.*

Sane Æris nomen pro quavis postea
Pecunia: vnde *Aes alienum*, *Oberatus*,
Aerarium. Vlpiani verbis, *etiam aureos
nummos Aes dicimus*. Seneca lib. v. De
Beneficiis: *Aes alienum habere dicitur, &
qui Aureos debet*. Ex Ære igitur *As* & par-
tes *Assis*. Hæ quatuor: *Semis*, *Triens*,
Quadrans, *Sextis*. As, etiã *Assis*, omnino
tanquam Æs: interdum *Assarius*, *Assa-*
pendium, *Libra*. *As* enim, scri-
bente Varrone, lib. iv. De L. L. erat *libra
pondus*. Vnde & *signum*. An adiitio: *Du-
pondius à duobus ponderibus*, quod vnum
pondus Assipendium dicebatur. A *libra* aut
Asses Librales, quales illi *Serniani* passim
citati, & *appendi soliti*. Hinc *expēsa in
rationibus*, *Compendia*, *Dispendia*. *Im-
pendia*, *Dependere*, *Dispensator*, *Pensio*, de
A 6 qu. b. as

quibus Varro. Vetus item formula,
Per Aes, & libram emere: id est, per Af-
 fem & libram. Liptripendes enim siue
 Pensatores adhibiti. A librali etiam
 hoc pondere, Aes graue dictum. Vere
 Graue, quia baiulari magis solet, quã
ferri, in humeris, non in Zona: sane
 crumenam pendentem è collo gere-
 bant. vnde *Decollare* de pecunia, quæ
 deponitur, exponitur, perit. Hinc &
 stipari Aes solitum, curiose Varro do-
 cet, & sic Stipem vocari: *Aes quoq; Stipẽ*
dicebant. nam quod Asses libra pondo erant,
qui acceperant maiore numerum, non in ar-
ca ponebant, sed in aliqua cella stipabant, i. e.
cõponebant, quo minus loci occuparet. A sti-
pando igitur Stips, & quia pẽdebatur,
Stipẽdium. *Stipulari* quoq; & *Restipulari*
 dicitur, qui Pecuniam alligat. Non
 mãsit vero hæc grauitas: qui initio li-
 brales, *Sextantarij* facti, ex vnoASSE se-
 ni, bello Punico secundo. Deinde *Vn-*
ciales, ex vnoASSE duodeni, bello Pu-
 nico tertio. Denique *Semiunciales*, lege
Papiria, ex vnoASSE viginti quatuor.

Plinius lib. xxxiii. cap. iii. Libræ autem pondus æris imminutum bello Punico primo, cum impensis Respublica non sufficeret, constitutumque, ut Asses Sextantario pondere ferirentur. ita quinque partes facta lucræ, dissolutumque æs alienum. Postea Annibale urgente. Q. Fabio Maximo Dictatore, Asses Vnciales facti, placuitque Denarium xvi. Assibus permutari, Quinarium Octonis, Sestertium Quaternis. Mox lege Papiria Semiunciales Asses facti. Monetæ huius signum Ovidius lib. i. Fast. exprimit, & ad Saturni in Italiam aduentum refert:

*At bona Posteritas puppim signauit in
ære,*

Hospitis aduentum testificata Dei.

Distincte Plinius, lib. xxxiii. cap. 3. Nota æris fuit ex altera parte Ianus Geminus, ex altera rostrum nauis. in Triente vero & Quadrante rates.

Partes Assis, uti è Festo colligitur, à Tarquinio Superbo signatæ, Semis, Triens, Quadrans, Sextans.

Semissis Varroni lib. iv. De L. L. quasi

14 ERYCI PVTEANI

quasi *Semias*, id est dimidium *Affis*. Item. lib. ix. Dicimus eandem rationem habere *Assem* ad *Semissem*, quam habet in *argenti libella* ad *sembellam*. Martialis lib. xi. Epigrammate cvi.

Mittebas *Libram*, *Quadrantem Garrice* mittis:

Saltem *Semissem*, *Garrice*, solue mihi. Hinc *Semissis* homo, vix *Semisse* estimandus. Varinius ad Ciceronem *Simius*, non *Semissis* homo contra me armatulus. Crinitus lib. i. cap. xiii. De Honestate disciplina, à *Semisse* etiam *Semissios* esse dictos arbitratur, Tertulliani loco inductus, in *Apologético*: *Sarmentitios* & *Semissio* appellatis, quia ad stipitem dimidij *assis* reuincti *sarmentorum* ambitu exurimur. Verum hic legendum esse *Semaxios*, & ad *Stipitem* dimidii *axis* liquet.

TRIENS, Eidem Varroni certia pars *Affis*. Iuuenalis Sat. iii.

— Nec habet quem porrigat ore *Trientem*.

QUADRANS, quarta pars *Affis*, quemadmodum & hoc vocabulum *Plu-*

Plutarchus alibi reddit. prius Triuncem vocatum à tribus vnciis Plinius indicat: hasenim continebat. Apud Iuuenalem Sat. vi. est, *Quadrante lauari*. Balneum enim, vt cum Seneca dicam ep. oxxxxvii. res *Quadrantaria* erat. Quadrantem vero & Trientem Ratum quoque dicebant. Festus: *Ratum Quadrantem dictum putant, quod in eo & Triente ratis fuerit effigies, vt nauis in Asse*. De Plumbeo controuersia est, quem fuisse Quadrantem plerique censent; hoc potissimum argumento, quia & hic & ille pro Sportula, siue mercede diurna Antambulorum à Martiali ponitur. Quadrans, lib. x. Epigr. LXXIV.

— *Saluator*

*Ante ambulones & togatulos inter
Centum merebor Plumbeos die toto.*

Plumbeus, lib. x. Epigram. LXXV.

Sportula nos iunxit Quadrantibus arida centum.

Quid dicam? non statam ac perpetuam hanc mercedem fuisse: sed diuersa

uersa

uerfa potius pecunia & ratione æstimatam. Nam apud eundem Poetam, lib. ix. Epigr. ciii. tres Denarii nominantur.

Denariis tribus inuitas, & mane togatum

Obferuare iubet atria, Baffe tua.

Tres Denarii hic Quadrantes centum viginti. Præterea inuitandi verbum arbitriam Sportulam indicat. Quadrantes igitur dictos magis fuiſſe Plumbæos arbitror, quam fuiſſe. Nulla enim apud Romanos Pecunia è plumbo: ſed plumbea per contemptum, quaſi vilis, quæ & Nigra moneta eadem Poetæ, lib. i. Epigr. C.

Toto qua ſemel apparas in anno,

Nigra ſordibus explices Moneta.

Eodem tropo vina plumbea, & mala plumbea, apud eundem. Quemadmodum autem viles Nummi, plumbei. ita fictitij, Lupini: Horatius.

Nec tamen ignorat, quid diſtent ara lupinis.

Atque hoc erat aurum illud Comicum,

PECVNIAE R. RATIO. 17

cum; imo aurum maceratum apud
Plautum Pœnulo, Act. III. Sc. II.

*Macerato hoc pingues fiunt auro in Bar-
baria boues.*

SEXTANS, sexta pars Assis, Tri-
entis dimidium. Livijs lib. II. de Me-
nenio. *Extulit eum plebs, collatis in capi-
ta Sextantibus.* Pariter Plinius lib.
XXXIII. cap. X. *Agrippa Sextantes Aeris in
funus contulit.*

Æstimatione monetæ nostræ As
vel Decima vel Decima sexta pars Re-
galis est, quemadmodam Denarij
fuit.

Cum DECIMA, Semistuferum
nostrum valet; Galli Grossum, Itali
Solidum appellant. Decies enim
hæc sumpta Regalem constituunt.
Ergo,

Semissis, Quarta partem Stuf-
eri, quæ nobis corrupto inde vocabu-
lo *Drac.*

Triens, Sextam partem Stuf-
eri,

Quadrans, Octavam partem Stuf-
eri, live Nouenarium ein Nege-
menneken. Sex-

Sextans, Duodecimam partem Stuferi.

Verum, cum AS DECIMA SEXTA Denarii pars est, Quartam partem Stuferi nostri, & Seminouenarium valet. Decies enim Sexies hæc sumpta Regalem constituunt. Ergo,

Semissis, Nouenarium & Quartam partem Nouenarii.

Cæteræ Assis partes suo sic pretio & proportione æstimandæ. quibus nostra omnia hodie pecunia maior est.

CAPVT III.

De pecunia Argentea.

ILLECTI Ære Romani, facile ad Argentum traduci potuerunt. Pecunia placuit: quidni & Nummus? Puriori iam paulatim metallo avaritia digna fuit, & in compendium opes deducendę erant, quia creuerant. Ad plebem Asses, & onera: noluit ultra nisi argento manus nobilior inquinari, Sed nec plenum vsum Pecunia

PECUNIÆ RATIO 19

nia habuit, nisi condiam & abscondi posset, quæ stipari solebat, & in oculis esse. Latere igitur cœpit, ut in diis obnoxia esset: custodiri cœpit, ut furta nascerentur. Quando? si Plinio

credimus, lib. ~~xxviii~~ cap. ~~iii~~ Popu-

lus Romanus ~~ne argento quidem signato~~

~~ante Pyrrhum Regem denarium usus est~~ Di-

stinctius etiam? ~~Argentum signatum est~~

~~anno urbis cccc. lxxxv. Q. Ogulnio~~

~~& C. Fabio Cass. quinq. annis ante primum~~

~~bellum Punicum.~~ Accedunt alii: abit Var-

ro, qui apud Carissum lib. i. Institutionum, Nummum Argenteum conflatum primo à Servio Tullio tradit. Sed quacumque origine, Nummus ex Argento Triplex fuit, DENARIUS, cuius nota, ut ait Volusius, ista, X, & partes Denarii QVINARIUS, V, SESTERTIUS, HS, LIBELLA, SEMBELLA, TERVNCIUS.

DENARIUS, ut cum Varrone dicam, quod denos Æris valebat, id est Asses. Plinius lib. xxxiii. cap. iii. Placuit Denarius pro X. libris Æris. Sic

So-

Sosipater lib. I. Apud Antiquos Denarium decem Asses habuisse, ideoque in rationibus faciendis Denarium decussi inducto notamus. Quia Bigis Quadrigisue insignitus, etiam Bigatus atque Quadrigatus dici coepit. Plinius. Nota argenti fuere Biga atq; Quadriga, & inde Bigati Quadrigatique dicti. Sic Festus: Nummi Quadrigati & Bigati à figura calatura dicti. Et simpliciter Argentum; pondere & pretio par Drachmæ Atticæ; in quo Auctores fecerunt consentiunt. Crevit autem iam tum à Bello Punico II. Argenti æstimatio atque Denarius Sedecim Assium fuit, auctis pari ratione Quinario, Sestertioque. Vitruvius lib. III. capite I. Plinii clara verba sunt libro xxxi. cap. III. Asses vnciales facti, placuitq; Denarium xvi. Assibus permutari, Quinarium octonis, Sestertium Quaternis. Ita Respublica dimidium lucrata est. Et quomodo dimidium? Quia Denarius sedecim Assium, in Sextantariis xxxii. habebat Vncias: in Vncialibus xvi. Totidem igitur factæ lucti.

Sed

PECUNIÆ RATIO. 21

Sed denarium Sedecim Assibus æstimatum, Milites quoque apud Tacitum i. Annal. ostendunt, conquesti, *Denis in diem Assibus animum & corpus æstimari.* Ergo leuamentum petere, vt singulos Denarios mererent, siue, vt Dio *ἀπαρχὴν ἡμερονοτίας.* Quippe hac ratione feni Asses diurno Stipendio accessuri erant.

Mansit hæc æstimatio, & frustra sunt, qui reductam censent Volusius: Nunc Denarius sedecim Victoriatus & Quinarius octo, Sestertius quatuor Asses valet. Idem Posteaquam in sedecim Asses Denarius distributus est, denarij ratio expeditius confici cœpit.

QUINARIUS rationem Denarij sequitur, eiusque dimidium est. Dicitur Varroni, quod quinos aris valebat Passim & victoriatus, à signo. Plinius: *Qui nunc Victoriatus appellatur, lege Claudia percussus est, antea enim hic Nummus ex Illyrico aduectus, mercis loco habebatur. Est autem signatus Victoria & inde nomen.* Pretium à quinis ad octonos Asses
sur-

surrexit. quemadmodum è Plinio dixi.

SESTERTIVS in maximo vsu, Quinarii dimidium; etiam Nummus $\kappa\sigma\lambda' \epsilon\kappa\sigma\chi\iota\nu$, & Sestertius Nummus, $\kappa\sigma\lambda' \epsilon\sigma\tau\epsilon\rho\tau\iota\upsilon\sigma\iota\nu$. Sestertius autem Varroni, quod Semis tertius. Dupondius enim & Semis antiquus Sestertius est. Quasi dicas, è duobus Assibus constare & tertii semisse. Eodem loquendi modo, vt adnotauit Volusius, in legibus x i i. tabularum, duo pedes & semis sestertius pes nominatur. A prima institutione mansit nomen, & aucto ad quatuor Asses pretio adhæsit. Ita Plinius, aliq; Adiungo legem xxxv i i. Cod. De Donationibus: Verba superflua, quæ in Donationibus poni solebant; scilicet, Sestertij, nummi vnus, Assium quatuor, penitus esse reiicienda censemus.

LIBELLA, quæ & Libella argenti, Decima Denarii pars, eiusdem cum esse pretii, quamdiu Denarius Decem Assibus permutatus. Libella autem, vt as libra. Plautus Captiuus:

At ob eam rem mihi libellam pro eo argenti ne duis.

Hinc ad libellam debere Ciceroni pro Roscio, quod aliis ad Assem.

SEMBELLA quasi semilibella, vigesima Denarii pars.

TERVNCIVS Sembellæ dimidium, quadragesima Denarii pars. Plautus Captiuus: *Neque ridiculos iam Teruncii faciunt.* Sed hæc de Libella, Sembella, Teruncio, Varro confirmat, lib. iv. De. L.L. Nummi Denarii decima libella, quod libram æris valebat, & erat ex Argento parua. Sembella, quod sit Libella dimidium, vt Semis Assis. Teruncius à tribus vncijs, Sembella quod valet dimidium, & est quarta pars Libellæ, vt Quadrans Assis. Quod autem Varro ait, Libella libram AERIS valebat, item, erat ex Argento parua, referendum ad ea tempora, quibus Denarius Decem Assium erat.

Æstimatione vero Monetæ nostræ Denarius Regalem valet

Quinarius, Storerum, siue Semiregalem:

Sest e



24 ERYCI PVTEANI

Sextertius, Braspennarium, siue Semistoterum, qui est Stuferus & quarta pars Stuferi.

Libella, Semistuferum.

Sembella, quartam partem Stuferi.

Teruncius, octauam,

CAPVT IV.

De Pecunia Aurea.

ARGENTO iam quoque sordescabant digiti, *decidua*, vt cum Plinio dicam, *materia*, & in Nummis mundities Auri placuit: placuit color igneus, & tanquam caelo deriuatus. Vt vbique dies esset, haec facula accensa: & toto quæsitum orbe hoc metallum, vt in pecuniæ quoque luxum sufficeret. Ergo Quam Auaritia terram Virginem reliquit? Suffossa passim, & violata, sterile scere coacta est. Eadem & flumina necessitate exaruerunt; Tagus in Hispania, Padus in Italia, Hebrus in Thracia, Pactolus in Asia, Ganges in India. Vicit Naturam cupiditas hominum, ac ne fuit quidem liberalem esse. Posterorum tandem siue

ne felicitas siue infelicitas ab alieno Orbe pependit. Sed nos de Romanis dicamus: Amarūt aurū; sed plus tamē argento vsi sunt, tanquā euile sceret pecunia, cum iam minima esset. Quid dicam? maculari manus maluerunt, quam non impleri. Desinat igitur mirari Plinius, *populum suum victis gentibus in tributo semper Argentum imperitasse, non Aurum*: cum maior esset Auro Auaritia, Argento extingui debuit. Percussus tamen Nummus est Aureus, anno, vt Plinius adnotat, XII. post Argenteū: & simpliciter AVREVS appellatus, vel etiam AVREOLVS: quam deminutionem Martialis amavit, nō vno in loco: nos vno contenti sumus, lib. xi Epigr. xxviii.

— Centum Aureolos sic velut AERA roget.

Sextulam dictam esse Isidorus docet, lib. xvi. Originum cap. xxiv. quod de iis sex Vncia compleatur. Deinde: Sextula bis assumpta Duellum facit, ter posita Staterem reddit. Stater autem medietas vnciae est, ap-
pendens

pendens Aureos tres, & vocatur Stater quod tribus Solidis stet. Aureus igitur & Solidus appellari cœpit, sed sero, & postquam in partes divisus est Solidus, quia nihil illi deesse videtur, ut placet Isidoro. Solidum enim Antiqui integrum dicebant & totum. Nonis quartus nomen idem ille adiungit, & suo modo explicat, pro eo quod nominibus Principum effigiebusque signetur.

Partes igitur Solidi SEMISSIS & TREMISSIS. Semissis, dimidium solidi, sive integri; Tremissis, tertia eius pars. Cogitabat & Quartarium Alexander Severus inducere, scribente Lampyridio, atque hoc Nummo vestigal definire, quod sub Heliogabalo ad Solidum increverat: verum hanc immutationem ratio AErarii passa non est. In Aureo pondus pretiumque expendendum est. Ponderus Pliniano illo tempore duarum Drachmarum erat, sive unius Sicilici; quemadmodum examine exploratum est. Pretium viginti quinque Denariis æstimatum

matum est ergo Quinquaginta Quin-
 nariis, Centum Sestertiis. Dio Cas-
 sius lib LV χρυσῶν γὰρ δὴ καὶ ἐγὼ τὸ νόμισμα
 τὸ τὰ πέντε καὶ ἑξήκοντα δραχμῶν δισάμβροτον καὶ τὸ
 ἑπταέριον ἰσομέζω. Aureum enim & ego
 nummū illū qui valet Drachmas xxv. pro
 cōmuni more appello. Sed nolo Scripto-
 rū calculos cumulare. Didymi apud
 Arifscianum locus peculiaris est, & di-
 gn^o exprimi. Τὰ δὲ χεῖλια σὺς ἑπτα ποῖ δια-
 κασία πεντήκοντα διὰ ἑξήκοντα δένοντα δὲ χρυ-
 σῶν. Mille Sestertii faciunt c c l. Denarios
 Argentos, xc. vero Aureos. Inuerto: Decē
 Aurei faciunt Mille sestertios: ergo
 Aureus vnus sestertios Cētum. Item:
 Decem Aurei faciunt Ducentos
 quinquaginta, Denarios ergo Aureus
 Denarios Vigintiquinque.

Æstimatione Monetæ nostræ Aureus
 vigintiquinque Regalibus computatur:
 totidē enim antiquitus Denarios valuit:

B ij CA

od
 us
 m
 bil
 li-
 &
 lle
 eo
 si-
 &
 li-
 us
 ā-
 n-
 al
 d
 nc
 tā
 ue
 no
 m
 o-
 e-
 ti-
 m

EX Aere, Argento, Auro qui Nummi fuerint, & quo pretio, ostendi. Vfus superest, & supputandi modus, pari iam ordine dicendus. Frustra enim Pecunia, nisi numeretur. Sed nec vlla suauior hominibus occupatio est, quam & suam & alienam arcã ad calculos reuocare. Nos hic igitur quicquid Romani possederunt. *Æs* primũ est, & inde *Assium* ratio, ac numeratio duplici modo crescit, secundũ duplex Denarij pretium, siue *Denis*, siue *Semis* denis *Assibus* computatum. Alterũ minus & antiquum fuit, alterum maius, & bello Punico secundo indutum. Vt prius igitur computem

PRETIVM ANTIQVVM,

As quando Decima Denarij pars est, Decima quoque Regalis nostri censetur, estque *Semis* *stuferus*.

Dussis vel Dupondius, Bini *Aeris*, Duo *Asses*, *Quincta* pars Regalis, *Stuferus*.

Tref-

Tressis, vel Trepondius, Terni Aëris, Tres Asses, *Sequifstiferus*.

Quatrullis, Quaterni Aëris, Quatuor Asses, 2. *Stuferi*.

Quinctullis, Quini Aëris, Quinque Asses, 2. *Stuferi cum dimidio, siue Stoterus*

Sextullis, Seni Aëris, Sex Asses, 3. *Stuf.*

Septullis, Septeni Aëris, Septem Asses, 3. *Stuferi cum dimidio.*

Octullis, Octoni Aëris, Octo Asses, 4. *Stuferi.*

Nonullis, Noueni Aëris, Nouem Asses, 4. *Stuferi cum dimidio.*

Decullis, Deni Aëris, Decem Asses, *Regalis, siue 5. Stuferi.*

Vicullis, Viceni Aëris, Viginti Asses, 2. *Regales, siue 10. Stuferi.*

Trigellis, Trigeni Aëris, Triginta Asses, 3. *Regales, siue 15. Stuferi.*

Quadragesillis, Quadrageni Aëris, Quadraginta Asses, *Florenus, siue 4. Regales.*

Quinquagesillis, Quinquageni Aëris, quinquaginta Asses, *Semiphilippicus, siue 5. Regales, Florenus & 5. Stuferi.*

Centussis, Centeni *Æris*, Centum
Asses, *Philippicus*, siue 10. Regales, qui
sunt 2. Floreni & 10. Stufferi.

Centussia autem, vt Varro ait, *maius
Æris vocabulum non erat*. Ergo deinceps,

Duceni vel Ducenteni *Æris* Du-
centi Asses, 3. *Philippici*, siue 5. Floreni.
Treceni, vel Trecenteni *Æris*, Tre-
centi Asses, 3. *Philippici*, siue 7. Floreni cū
Dimidio,

Quadringeni, vel Quadringente-
ni *Æris*, Quadringenti Asses, 4. *Phi-
lippici*, siue 10. Floreni

Quingeni, vel Quingenteni *Æris*,
Quingenti Asses, 5. *Philippici*, siue 12.
Floreni cum Dimidio.

Mille *Æris*, Mille Asses, 10. *Philippi-
ci*, siue 25. Floreni.

Dena Millia *Æris*, quæ scribente
Liuiio, olim Diuitiæ, 100. *Philippici*,
siue 250. Floreni.

Centum Millia *Æris*, 1000. *Phi-
lippici*, siue 2500. Floreni.

Decies Centena Millia *Æris*, vel
con-

concise Decies AERIS, 10000. Philipp.
sive 25000. Flor.

Centies centena Millia AERIS, vel
iterum concise Centies AERIS. 100000
Philipp. 250000. Flor.

Millies Centena Millia AERIS, vel
concise Millies AERIS, 1000000, Phi-
lipp. 2500000. Flor. Sed ut adiungam

PRETIUM MINUS ANTIQVVM,
As cum Decima sexta Denarii pars,
Decima quoque sexta Regalis est, Quarta
pars Stufferi; & Seminouenarius.

Duffis, Octava pars Regalis, sive Semi-
stufferus & Nouenarius, quem Semibraspen-
narium dicimus,

Tressis, Semistufferus cum Quadrante,
que Blanca nobis, & Sequinouenario.

Quatrußis, Stufferus cum Quadrante,
sive Braspenarius.

Quinctußis, Sesquistufferus cum Semi-
nouenario.

Sextußis, 2. Stufferi nouenario minus.

Septußis, 2 Stufferi, & Sequinouena-
rius.

Octußis, Semiregalis, sive Stoterus.

Nonullis, Stoterus cum Quadrante
Stuferi, & Seminouenario.

Decullis, Sotterus & Semibrassenna-
rius siue 3. Stuferi & Nouenarius.

Vicellis, Regalis & Brassennarius.

Trigellis, 9. Stuferi, Quadrans, & No-
uenarius.

Quadrageslis, 2. Regales & semis.

Quinquageslis, 3. Regales, & Semi-
brassennarius.

Centullis, 6. Regales, & Brassennarius,
siue Sesquiflorenus & Brassennarius.

Ducenti Aëris, Philippicus, & 2. Re-
gales cum dimidio siue 3. flor. & Stoterus.

Trecenti Aëris, Sesquiphilippicus, 3.
Regales, & Sesquistoterus siue 4. floreni, 2.
Regales, 4. Stuferi Quadrante minus.

Quadringenti, 2. Philippici & Semis,
siue 25. Regales, qui sunt 6. floreni 3. St.

Quingenti, 3. Philippici, Regalis &
Brassennarius, siue, 31. Regal. & Brassen-
narius, qui sunt, 7. floreni 16. Stuferi cum
Quadrante.

Mille Aëris, 6. Philippici, 2. Regales &
Semis siue, 15. floreni, 12. Stuferi cu dimido
Den-

Dena Millia Aëris, 62. Philippici & Semis, siue 156 floreni, 5. Suferi.

Centum Millia, 625. Philippici siue 1562 flor. cum dimidio.

Decies Centena Millia, 6250 Philippici siue 15625 flor.

Centies centena millia, 62500. philipp. 156250 flor.

Millies Centena Millia, 625000. Philipp. 1562500 flor.

CAPVT VI.

Supputatio Argenti.

INTER AEs Aurumque Argenti pependit, usus, numerandi ratione potissimum variatus. Placuit hæc molestia, non molestia: & vt scires laboriose acquiri Nummos, sic quoque computari debuerunt. Sestertii sunt, & scrupos suos siue ambages habent: Denarius Quinariusq; simplici calculo absoluuntur: quemadmodum à Liuij, li. xli. Tulit in eo Triumpho Denariorum ccc. vii. Millia, & Victoriatum (hæc Quinarii) LXXXVII. Millia, 10000. Et alibi.

SESTERTIARIA autem Supputatio triplex est, *Masculina*, *Neutra*, *Aduerbialis*. *Masculina* singulos nummos Sestertios significat: *Neutra*, singula Millia: *Aduerbialis*, singula Centena Millia. Sic differunt, *Decem Sestertii*, *Decies Sestertium*. Decem Sestertii, Decem Nummi sunt, qui singuli olim Duos Asses & Semissem valebant, postea Quatuor. Decem Sestertia, Decem Millia huiusmodi Nummorum. Decies Sestertium, Decies Centena Millia. sic tamen ubiq; Sestertii sunt: summae tantum excrecentes breuiori, & sic mutata formula expressæ. Nã Sestertii, ad Mille Sestertium erant: singula deinde Millia, sestertium: numerata, vel tot sestertia, erantque Duo sestertia, Duo Millia sestertiũ. siue Nummum: tanquam bis Mille sestertii: vt hinc etiã *Duo Sestertia Nummũ* dixerint, quasi Duo Millia eorum Nummum, qui sestertii appellantur. Hæc vero Millia ad Decies Centena Millia sic computata sunt, quæ simpli-

pliciter Decies efferebantur: & sic Vndecies, Duodecies, ad Millies vsque, aut si quid vltra. Ergo si pretium spectemus, tantum sestertii sunt: sestertius est, sed cumularus, quem sic quoque Seneca notat, Epistola xcv. *Qua maxima inter vos habentur, diuitia, gratia, potentia, Sestertio Nummo aestimanda sunt. Hoc nescis, nisi constitutionem ipsam, qua ista inter se aestimantur, inspexeris. Sed nunc ordine triplicem illam numerandi Rationem, Masculinam, Neutram, & Aduerbialem recenseo.*

CAPVT VII.

Sestertii in Rationes ducti.

SESTERTIVS Nummus quarta Denarii pars. Pondere, non aestimatione Argenti ad nostram Monetam referendus. Ponderus mansit, aestimatio aucta: & nonne fieri hodie solet? Quatuor autem sestertii Regalem nostrum Argenteum constituunt, imo Denarium constituunt; siue ille Decem olim, siue sedecim Assium fuit. Regalis hodie pars quarta nobis *Bras-*
penna-

Aspennarius, in se hic Sestertius, & hoc pretio numerandus.

Duo Sestertii, siue Nummi, siue Sestertii Nummi, *Semiregalis*; siue *Sto-terius noster*, 2. *Stuferi cum dimidio*.

Tres Sestertii, 3. *Aspennarii*, siue 3. *Stuferi* & 3. *Quadrantes*.

Quatuor Sestertii, *Regalis*, siue 5. *Stuferi*.

Quinq; Sestertii, *Regalis* & *Aspennarius* siue 6. *Stuferi cum Quadrante*.

Decem Sestertij, 2. *Regales* & *Semis*, siue 2. *Stuferi cum dimidio*.

Viginti Sestertij, 5. *Regales*, siue 1. *Florenus*, 5. *Stuferi*.

Triginta Sestertij, 7. *Regales* & *Semis* siue *Florenus*, 7. *Stuferi cum dimidio*.

Quadraginta Sestertii, 10. *Regales*, siue 2. *Floreni* 10. *Stuferi*.

Quinquaginta Sestertii, 12. *Regales* & *Semis*, siue 3. *Floreni*, 2. *Stuferi cum dimidio*.

Centum Sestertij, 2. *Philippici* & *Semis* siue 25. *Regales*, qui sunt. 6. *Floreni* 5. *Stuferi*.

Ducenti Sestertii, 5 Philippici, siue 50.
Regales, qui sunt 12. Floreni, 10 Stuferi.

Trecenti Sestertij, 7. Philippici & Se-
mis, siue 75 Regales, qui sunt 18. Floreni, 15.
Stuferi.

Quadringenti Sestertij, 10 Philip-
pici, siue 100. Regales, qui sunt 25. Floreni.

Quingenti Sestertii, 12 Philippici &
Semis siue 125. Regales, qui sunt 31. Floreni,
5. Stuferi.

Sexcenti Sestertii, 15. Philippici siue
150. Regales, qui sunt 37. Floreni, 10. Stu-
feri.

Septingenti Sestertii, 17 Philippici,
& Semis siue 175. Regales qui sunt, 43. Flo-
reni, 15. Stuferi.

Octingenti Sestertii 20. Philippici,
siue 200 Regales, qui sunt 50. Floreni.

Nongenti Sestertii, 22. Philippici &
Semis siue 225 Regales, qui sunt 56. Floreni
5. Stuferi.

Mille Sestertium, vel Nummum,
non Sestertii, 25. Philippici, siue 250. Re-
gales, qui sunt 62. Floreni, 10 Stuferi.

DEINGERS VERO VARIETAS ERAT, vel
enim

enim eodem Genere & Modo numerabant
 vel diuerso. Eodem Duo Millia Sesterti-
 um, vel Nummum: Et simpliciter Duo
 Millia. Item Tria Millia Sestertium, vel
 Nummum, & Tria Millia. sic Quatuor,
 Quinque, Decem, Centum Millia Mox Du-
 centa, Trecenta Quadringenta, Quingen-
 ta, Sexcenta, Septingenta, Octingenta
 Nongenta Millia, Sestertium vel Num-
 mum, & simpliciter Ducenta, Trecenta
 & c. Sestertium non vero Nummum. Tū
 Decies Centena Millia, breuiusque De-
 cies Centena, breuissime, Decies. Item
 Centies Millies, atq; hæc Aduerbialis
 illa Supputatio, q̄ tertium locū occu-
 pat. Sed, vt istuc redeam, illæ de Eodē
 Genere & Modo formulæ paucis o-
 biter exēplis cōfirmande sunt. Quin-
 que millia Sestertium Cicero dixit,
 Actione v. in Verrem: *Facta est sponsio
 Sestertium quinque Millibus. Quadringē-
 ta millia Nummum Plinius lib. v I I I.
 cap. x L I I I. Asinum c c c c. millibus Nū-
 mum emptum Q. Axio Senatori auctor est
 Varro. Ducenta millia Suetonius Ne-
 rone*

rone. *Funeratus est impensa Ducentorum Millium.*

Diuerso autem Genere & Modo, creber vsus pro Masculino hic Neutrum vsurpauit, à Mille Sestertium ad Decies Centena Millia per Sestertia Supputatione ducta.

CAPVT VIII.

Sestertia ad calculos reuocata.

DELICIAE Romani sermonis sunt, & facili errore contaminari solent. Ecce Mille Sestertium, non Mille Sestertii dicuntur cum tamen tot Sestertii sunt, quot ab vno ad Mille numerentur. Sed hic præ adiectiuo substantiuum placuit, & vt regimen suum Mille singulare in plura obtineret: Quæ etiam forma Mille hominum, Mille annorum, Mille passuum, venuste apud optimos Scriptores vsurpantur. Lucilius etiam inflectere ausus est:

Tu Milli Nummum potes vno quarere Centum.

Id est, vt A. Gellius explicat lib. i. cap

xvi. Vnis Mille Nummis, Centum Millia.
 vbi notandum & Mille Nummum, &
 Mille Nummos dici, Sestertios non dici.
 Nummum à Lucilio, Nummos à Gel-
 lio. Priorem formulam è Cicetone
 confirmo, Oratione vi. in Antonium:
 Itane Ianus Medius in L. Antonii clientela
 est? quis vnquam in illo Iano inuentus est,
 qui L. Antonio Mille Nummum ferret ex-
 pensum? Posteriolem è Martiale, lib.
 x. Epig. LXXV. Totum adscribo, vt dis-
 crimen Generis simul notetur.

*Milia Viginti quondam me Galla popos-
 cit,*

*Et fateor magni non erat illa nimis.
 Annus abit, Bis Quina dabis Sestertia, di-
 xit:*

*Poscere plus visa est, quam prius, il-
 la mihi.*

*Iam Duo poscenti post sextum Millia men-
 sem,*

*Mille dabam Nummos, noluit acci-
 pere.*

*Transferant hinc forsàn, trinaye Kalende,
 Aure olos vltro Quatvor ipsa petit.*

Hic

Hic *Millia viginti*, sunt *Viginti Millia Sestertiū*, vel *Viginti Sestertia*. Contra, *Bis Quina Sestertia* sunt *Decem Millia*, siue *Decem millia Sestertiū*. Deinde, *Duo Millia*, sunt *Duo Millia Sestertium*, vel *Duo Sestertia*. Tandem *Mille Nummi*, sunt *Mille Sestertium*. In Supputatione igitur hactenus habuimus sestertios, nunc mutato Genere Sestertia: Nimirum quia ad Mille peruenitum est, crescente cumulado calculo summā ad simplices iterū numeros loquendi breuitas duxit, & quoriam sestertia, tot sestertium Millia erant. Etenim *Duo Millia Sestertium*, & *Duo Sestertia* pari pretio habita. *Tria Millia*, & *Tria Sestertia* *Quatuor Millia*, & *Quatuor Sestertia*, usque ad Mille. Recte omnia: quemadmodum huiusmodi esset *Millia* & *Sestertia* in gi structura efferre Martialis illud Epigramma profus ad rem est sed pondus ab hoc Ciceronis loco capiet, *Actione v. in Verrem*: *Sestertium Ducenta Quinquaginta Millia iussu Pratoris data.* Et mox de eadem Pecunia: *Numeran-*

merantur illa Sestertia Ducenta Quinquaginta Syracusanis. Ecce quae ibi Millia Sestertium sunt; hic Sestertia. Et sic ubique sestertii singulos indicabant, sestertia tot Millia supputatio hunc in modum producta est.

Bina Sestertia, Duo Millia. sestertium, siue Nummum, 50. Philippici, siue 500. Regales qui sunt 125. Floreni.

Terna sestertia, Tria Millia sestertium 75. Philippici, 750. Regales. 187. Floreni cum dimidio.

Quaterna sestertia, Quatuor Millia sestertium, 100. Philippici. siue 1000. Regales, qui sunt 250. Floreni,

Quina sestertia, Quinque Millia sestertium, 125. Philippici. siue 1250. Regales, qui sunt 312. Flor. 10. Stufferi.

Dena sestertia Decem Millia sestertium, 250. Philippici, 2500. Regales, 625. Floreni.

Vicena sestertia, Viginti Millia sestertium, 500. Philippici siue 5000. Regales, qui sunt 1250. Flor.

Tri-

PECUNIAE R. RATIO †

Tricena sestertia, Triginta Millia sestertium, 750. *Philippici, siue 7500. Reg. qui sunt 1875. Flor.*

Quadragesima sestertia, Quadraginta Millia sestertium, 1000. *Philippici, siue 10000. Reg. qui sunt 2500. Flor.*

Quinquagesima sestertia, Quinquaginta Millia sestertium, 1250. *Philippici, siue 12500. Regal. qui sunt 3125. Flor.*

Centena sestertia, Centum Millia sestertium, 2500. *Philippici siue 25000. Regal. qui sunt 6250. Flor.*

Quingentesima sestertia, Quingenta Millia sestertium, 12500. *Philip. siue 125000. Regal. qui sunt 31250. Flor.*

Et sic sexcentena: septingentesima, Octingentesima, Nongentesima. Post hæc quia Nongentesima sestertia erant Nongenta Millia sestertium, relicto Neutro ad Masculinum Formula rediit, neciam *Mille Sestertia*, sed *Decies Centena Millia Sestertium* dici obtinuit, qui tot erant sestertii, & Aduerbia-
lis locutio vsurpata.

CA-

Supputatio Sestertiorum Aduerbialis.

APVD Antiquos Romanos nō fuisse numerum vltra Centum Milla, Plinius notat. lib. xxxiii. c. x. Itaque & hodie, inquit, multiplicantur hac, vt Decies Centena Millia, aut sepius dicantur. Dicta in Nummis: quia enim Mille millia Sestertium non leges; sic nec Mille Sestertia. Ergo Decies Centena Millia Sestertium, vel Decies Centena Millia, vel Decies Centena, vel Decies Sestertium, vel etiam Laconica ratione Decies. & sic quidem frequenter, teste Plutarcho in Antonio. Τῶν φιλῶν ἑνὶ μυριάδας ἐπέλασαι πέντε καὶ εἰκοσι δωδεκά. καὶ τοὺς Ποικίλοις ἐπέλασαι καὶ ἑξήκοντα. amicorum eundem Viginti quinque Myriades dari insit: hoc Romani Decies dicunt. Viginti quinque Myriades, Drachmarum Myriades sunt: & Drachmæ Denarii. Ergo Ducena Quinquaginta Millia Denarium, siue Decies Centena Millia Sestertium. Eadem breuitate Martialis li. i. Epig.

CIV.

Aut

*Aut viue, aut Decies Scauola redde
Decis.*

Et dixerat eodem Epigrammate,
*Si dederint Superi Decies mihi Mil-
lia Centum.*

Sic igitur & *Vicies, & Centies, Millies*. Sed ab Aduerbiis hifce in solens sermonis ratio & inflexio, vltu rament confirmata; qua Declinari Genitiuus pluralis Sestertium, per casus singulares cœpit. Hoc *Decies Sestertium, Huius Decies Sestertij, ab hoc Decies Sestertio*. Tacitus lib. II. *Annal. de Fonteii Agrippæ Filia: Casar quamuis posthabitam Decies Sestertii dote solatus est. Idem lib. III. M. Piso exula dignitate, & accepto Quinquagies Sestertio in decē annos relegaretur. Varro non alienus, lib. VIII. De L. L. Vt hoc Mille, huius Mille; sic hoc Decies, huius Decies. Hinc iam igitur supputemus.*

Decies Sestertium, siue Decies, 25000. Philipp. siue 250000. Regal. qui sunt 62500. Flor.

Vndecies Sestertium, 27500. Philipp. siue 275000. Reg. qui sūt 68750. Flor.

Du-

Duodecies sestertium, 30000. Phil.
sive 300000. Regal. qui sunt 75000.
Floreni.

Tredecies sestertium, 32500. Phi-
lipp. sive 325000. Reg. qui sunt 81250.
Flor.

Quaterdecies sestertiū, 35000. Philip.
sive 350000. Regal. qui sunt 87500. Flor.

Quindecies Sestertium, 37500.
Philipp. sive 375000. Regal. qui sūt 93750
Flor.

Vicies Sestertium, 50000. Philipp.
sive 500000. Reg. qui sunt 125000. Flor.

Trecies Sestertium, 75000. Philipp.
750000. sive Regal. qui sunt 187500.

Quadrages Sestertium, 100000.
Philipp. sive 1000000. Reg. qui sunt Flor.
250000. Flor.

Quinquages Sestertium, 125000.
Philipp. sive 1250000. Regal. qui sunt
312500. Flor.

Centies Sestertium, 250000 Philipp.
sive 2,000000. Regal. qui sunt 625000. Flor.

Millies Sestertiū, 2500000. Philipp.
sive 25000000. Regal. qui sunt 6250000. Flor.

Decies

Decies Millies Sestertiū 2500000.
 Philip. *sive* 250000000. Regal. qui sunt
 62500000. Flor.

Centies millies Sestertium .
 25000000. Philipp. *sive* 2500000000. Regal.
 qui sunt 625000000. Flor.

CAPVT X.

De Supputatione Auri.

AVRVM facilius numeres quam
 aestimes: ratio pretium sequitur,
 in Nummis singulis computanda.
 Ergo Bini, Terni, Quaterni, Quini,
 Deni, Viceni, Centeni, Milleni sunt;
 & paruo cumulo ingentem sum-
 mam constituunt.

Vnus Aureus, c. Sestertii, xxv. De-
 narii, *sive* totidem hodie nostri Regales.

Duo Aurei, cc. Sestertii, l. De-
 narii.

Tres Aurei, ccc. Sestertii, lxxv.
 Denarii.

Quatuor Aurei, cccc. Sestertii,
 c. Denarii.

Quinque Aurei, v. Sestertii,
 cxxv. Denarii.

Decem

Decem Aurei, ∞ . Sestertium, c. c. l. Denarii.

Centum Aurei, x. Millia Sestertium, ∞ . ∞ . l. Denarij.

Mille Aurei, c. Millia Sestertium, xxv. Millia Denarium.

Centum Millia Aureorum, Centies Sestertium, xxv. Centena Millia Denarium.

Decies Centena Millia Aureorum, Centies Millena Millia Sestertium, Duceties Quinquagies Centena millia Denarium. Sed hæc raro sic cõputata, & occupari Argẽto auaritia Romana maluit; tanquam & hoc satis Maiestas stare. Hinc quæ apud alios Aureis, apud alios Nummis siue sestertius computata inuenies. De Oihone Sueronius. *Quoties cœna Principem exciperet Aureos excubanti cohorti viritim diuiohat.* Tacitus lib. i. Historiarum: *Cohorti excubias agenti viritim Centenas Nummos deuifos esse Contra Tacitus xi. Annal, à Claudici pretium Aduocationis confitutum vsque ad*

PECVNIAE R. RATIO: 49

ad Dena Sestertia. Vlpianus leg. i De
extraordinariis cognitionibus, *pro fin-
gulis causis, vsque ad Centum Aureos.*

Hæc AERIS, Argenti, Auri Ratio
est, faciliusque numerandi constitui
modus potuit, quam habendi. Cræ-
sus, aut Crassus sis licet, si auarus est a-
nimus, nullo numero satiatur. Sed a-
liis inopia, aliis copia grauis est, & cum
necessitate homines, aut cupiditate
luctantur. Quærunť omnes diuitias,
ne miseri sint, sed expleri nequeunt,
ne felices sint.

*Quis modus argento, quid fas optare,
quid asper*

Vt illo Nummus habet,

Sapientia ostendit. Sapientiæ tamen
pars est, scire Pecuniam, quæ Roma-
ni vsi sunt, potentissimique fuere; &
supputare, qua non ditior ipse, sed do-
ctior euadas. Hunc estimauit thesau-
rum, & ne auarus essem, publici iu-
ris feci.

C IN

50 ERYCIPVTEANT
IN

ÆS, ARGENTVM, AVRVM
ROMANORVM,

ÆRE rudi primos numeravit Ro-
ma thesauros:

Ærea dum virtus, Aurea Ro-
ma fuit,

Mollior Argenti succedens, vena, vi-
riles.

Dissoluit mores: Ærea Ro-
ma fuit.

Ast Auro postquam vitiorum copia
crevit.

Incidit in Scoriam: Ferrea
Roma fuit.

Ferrea, sed fragilis, venientibus apra
ruinis.

Vt caderet, nimias accumu-
larat opes.

FINIS

51

NUMERI ROMANI,

NOSTRIS EXPRESSI.

V N V M,

I.	————— QVINQVE,	1.
V.	————— DEC EM,	5.
X.	————— QVINQVAGINTA,	10.
L.	————— CENTVM,	50.
C.	————— QVINGENTA,	100.
Ib.	————— MILLE,	500.
cl. ∞.	————— QVINQVE MILLIA,	1000.
Ibb.	————— DEC EM MILLIA,	5000.
cc'bb.	————— QVINQVAGINTA MILLIA,	10 00.
Ibbb.	————— CENTVM MILLIA,	50000.
ccclbbb.	————— QVINGENTA MILLIA,	100000.
Ibbbb.	————— DECIES CENTENA MILLIA,	500000.
ccccbbbb	—————	1000000.

C ij

Ita

Ita hi quidem numeri, sed Latine scribuntur: imo & Barbare An magis ostendo.

Vnum simplici nota, 1 & sic omnes infra Denarium.

Decem, duabus 10. & sic omnes infra Centenarium.

Centum, tribus, 100. & sic omnes infra Millenarium.

Mille, quatuor, 1000.

Decem millia, quinque, 10000.

Centum millia, sex, 100000.

Qui dinceps sunt numeri, aduerbialiter:

Decies centena millia septem notis, 1000000. vulgo Mille millia, *sive* Millio.

Centies cetera millia, octo, 10000000. vulgo, *Decies Millena millia, sive Decem Miliones.*

Millies cetera millia nouē, 100000000 vulgo, *Centies Millena millia, sive Centum Miliones.*

Decies millies centena millia, decem, 1000000000 vulgo, *Millies millena millia, sive M. le Miliones.*

Centies millies centena millia, vndecim, 10000000000 vulgo; *Decies milies millena Millia sive Decem milia Milionum.*

Millies centena millia millies duodecim, 100000000000. vulgo *Centies milies millena millia, sive Centum milia Milionum.*

PECUNIAE R. RATIO. 63

Decies millies centena millia millies,
 tredecim, 1000000000000 vulgo *Millies*
millies millena millia, siue mille m^lia millia m^ll.

Centies millies Centena millia millies,
 quatuordecim, 1000000000000, vulgo,
Decies millies milies millena millia, siue
Decies m^le millia Millionum.

Millies millies centena millia millies,
 quindecim, 10000000000000, vulgo,
Centies m^lies m^llies millena millia, siue Cē-
ties mille millia Millionum.

Vt directio autem hic quædam sit, & expeditam numeratur viam ineat, vestigia hæc signo. In grandiori omni summa primæ quinq; notæ virgula separandæ sunt? deinceps ternæ quæque.

1 / 000 / 000 / 000 / 00000.

Prima ecce virgula Centena millia indicat. secunda, Millies cetera millia: tertia millies centena millia millies: quarta, millies millies centena millia millies. Atque hæc rationem omnes numeri sequuntur. Exemplo vno contenti sumus:

1 / 234 / 567 / 891 / 23456.

Etenim 1 / Millies millies centena millia millies continet: 234 / Ducenties trigésima quater millies centena millia millies. 567. / Quingenties sexagies septies millies centena millia: 891 / Octingenties novagies semel cetera millia: 2345 / Viginti tria

tria millia quadringeta quinquaginta sex
 SATIS sic ista, & tædet prosequi Nam
 Arithmetica mea, Astronomica, Cosmo-
 graphica, aliaq; huius notæ, quæ aliquan-
 do scripsi, furto mihi nuper ablata sunt,
 Tantum ausus dyscolus quidam è frigi-
 diore plaga, qv̄t sibi malus esset mihi ini-
 quus male de te, Lector, mereri voluit. An
 hoc solum eius crimen sit nescio: etenim
 vt Musarum hanc sedem desereret, fugit.

APVD GRÆCOS
 NVMERANTVR.

CHALCON, *Obulus, Drachma, Mina,*
Talentum, Stater.

CHALCON vt est apud Iul. Pollucem,
 octaua pars Oboli. vnde *Dichalcon* quar-
 ta, *Trichalcon* vtriusque illius pretium.

OBOLVS sexta pars Drachmæ, siue De-
 narii: vnde *Diocholon, Triobolon, Tetrobolon,*
 Duo, tres, quattuor Oboli.

DRACHMA, centesima Minæ: vnde
Didrachmon, Tridrachmon, Tetradrachmon,
 duæ, tres, quattuor Drachmæ.

MINA, Sexagesima Talenti.

TALENTVM autem communiter pro
 Attico, & ab Æginæo, Euboico; Babylone-
 nico, aliisque distingui solet,

SVNT IGITVR,

In Talento LX. Minæ, vi Millia Drach-
 marum xxxvi. Millia Obolorum, Sester-
 tia, xxiiy.

In Mina c. Drachmæ, 100 Oboli. Sextertii cccc

In Drachma vi Oboli. Asses antiquo pretio x. postea xvi.

In Obolo, Octo Chalca. Asses ii & ii. Septantes, si denis Drachmam Assibus æstimas: vel Assis i. & ii. Septantes, si Senisdenis.

STATER, siue *Aureus*, varie à Regibus appellatus, & hinc *Semistater Semiatrens*: Pretium ad xxv. quoque Drachmas deductum est. par Romano.

APVD HEBRÆOS

VSV MET PRETIVM HABENT

Gerah, Sécel, Manech, Cicar,

Ex interpretatione D. Hieronymi,

Obolus, Siclus, Mina Talentum.

GERAH, siue Obolus. vigesima pars Sicli. Exodi cap. xxx. & Eze. cap. xlv.

SECEL, siue Siclus, qui & Argenteus, & Stater Argenteus, Sexagesima Minæ. xx. habet Obolos. Ibidem.

MANEH, siue Mina, centesima Talenti. lx. habet Siclos. Ibidem.

CICAR, siue Talentum, iv. Talentis Atticis par. c. habet Minas. Iosephus. lib. iii. Iud. Antiq. c. vii.

SVNT IGITVR,

In Talento, Hebraica ratione, c. Minæ (male interpretes L.) VI. Millia Siclorum, cxx. Millia Obolorum: Græca, I V. Talenta Attica. xxiv. Millia Drachmarum: Latina, totidem Denarii, siue, xcvi. Sestertii.

In Mina, Hebraica ratione, lx. Sicli. ∞.cc Oboli: Græca, ccxl. Drachmæ: Latina, totidem Denarii, siue ∞. lx. Sestertii.

In siclo Hebraica ratione xx. Oboli: Græca iv. Drachmæ, (male interpretes Didrachmum:) Latina, totidem Denarii, siue xv. Sestertii: nostra, Florenus.

In Obolo, Græca ratione Obolus Atticus & quinta pars Oboli: Latina, III. Asses cum Sextante: & quinta parte Sextantis: nostra, Stufus.

In

In Pecuniam antiquam
ab amplissimo V.

ERICIO PVTEANO
Nouæ comparatam.

MILITIS Ausonii nuper Stipendia fa-
bre

Eruit è tricis ruderibusque suis,
Squalorem hinc veteris limat scoriam-
que MONETÆ,

Nosstratem ad trutinam ἄγχι
prisca trahens,

Pluraque quotidie doctis oracula libris
Et labris GRVDIA Phæbus ab
ARCE tonat.

Huc igitur celera gressus, hinc elice verum,
Quem fors antiquæ dant dubium sa-
lebra.

DELIVS à Delphis nam transinigravit
Apollo;
Cortinam & tripodem DILIA
noster habet

FR. MELCHIOR DAELHEMIUS
August.

ERY-

ERYCIUS PVTEANVS V. A.

Stilo & ingenio cum Romana
Urbe comparatus.

ROMA potens opibus: tumente animo-
que. Sed illa

Non contenta suis: cun' PVTEANE
tuis:

Omnia cum tenuit, nequicquam plura cu-
piuit:

Tu cum cuncta scias, plura tenere po-
tes?

Sic tamen absimilis Romæ: nam condidit
illa

Quas cumularat opes: premis at ipse
tuas.

PETRVS IACOBÆVS

LOÖDONENSIS.

CENSURA.

HANC Romanæ Pecuniæ rationem, Historiæ & Antiquitatis lucem non immerito dixeris; quæ cum nihil habeat quod offendar, sed quod suauiter afficiat, ad Cognitionis Antiquitatis vberiore fructum vtiliter prodibit in publicum.

GVILIELMVS FABRICIVS, *Apostolicus & Archiducalis Librorum Censor.*


CVM PRIVILEGIO
PRINCIPALI.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher due to its orientation and fading.

GARIBOLDI FABRI
CIVIS

CAVI PRINCEPS
P. PRINCEPS





134 530

(X26A86A5)

Haut ita multo post
p. 296.

Subita sanguinis varietione
extingui p. 297.

Mellius de corp de monetis
mensuris et ponderibus

V 17



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 19 18 17 16 15 14 13 12 11 10 9 8 7 6 5 4 3 2 1

Farbkarte #13

B.I.G.

